Sermo nobilissimus de beata virgine Maria.

Signum magnum apparuit in celo mulier amicta sole et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim. Celum, sol, luna et stelle in sacra scriptura tribus modis exponuntur, videlicet tropologice, allegorice et anagogice. Celum tropologice designat vitam spiritualem. Unde apostolus: nostra autem conversatio in celis est, id est spiritualis. Allegorice designat dominum Ihesum Christum. Unde in psalmo dicitur: posuerunt in celum os suum, ubi dicit glosa: in Christum, id est contra deum, quod intelligi potest de iudeis et hereticis qui contradixerunt Christo. Anagogice designat eternam beatitudinem. Unde dicitur: gaudent in celis anime sanctorum. Igitur cum triplex habeatur celum, et beata virgo Maria mystice intelligatur per signum magnum mulierem, scilicet que apparuit in celo, videndum est quando et qualiter ipsa apparuit et quale signum fuit, et quo sole amicta et qua luna suffulta et quibus .xii. stellis ornata sit. In quibus [illegible] celorum. In primo itaque celo apparuit beata virgo cum ipsa in hunc mundum nasceretur. In secundo cum filius dei in ipsa [illegible]. In tercio cum ipsa super choros angelorum exaltaretur. In primo celo apparuit nobis hec mulier signum magnum imitationis et exempli. In secundo salutis et remedii. In tercio speciationis et adiutorii. In primo, id est in vita spirituali, amicta fuit sole virtutis et gracie, habens sub pedibus suis lunam mutabilitatis et concupiscencie, que per lunam designatur, quando luna in malo accipitur, ut ibi: stultus ut luna mutatur. Mox namque ut ex utero matris egressa est, sine dilatione ascendit in eminenciam virtutum, iuxta illud Luce: exsurgens Maria abiit in montana cum festinatione. In hoc celo coronata fuit .xii. stellis, id est .xii. preeminenciis quibus eius venerabilis vita [illegible] conceptione filii dei, scilicet omnium sanctorum excellenciorem [illegible], id est quod ipsa ab eterno fuit dei genitrix preelecta, secundum quod canitur de ipsa: ab eterno vas purissimum, vas insigne, vas excelsum manu sapiencie. II. Quod a prophetis prenunciata. III. Quod multiplicibus figuris et enigmatibus prefigurata. IIII. Quod in utero matris sanctificata, quod licet legatur de quibusdam aliis, de ea tamen plenius non immerito creditur. V. Quod omnibus dacius dignior est condita, secundum quod de ea dicitur: [illegible] omnia singulari cura dignior est condita omni creatura. VI. Quod in gaudium tocius mundi est nata, quod in fine [illegible] gratie [illegible] natalis tua [illegible] gaudium annunciavit universo mundo. VII. Quod ipsa primo obtulit votum castitatis. Unde ipsa vere potest dici mulier fortis que cinglum tradidit chananeo, id est castitatem Christo obtulit, et se fecit ei thronum de ebore grandem qualis non est inventus in universis regnis. VIII. Integritas mentis et corporis. Nona in solo domino erectio. X. absque omni repugnatione seu murmuratione omnis subiectio.

Undecima perfectissimus status religionis, que inperabilis fuit omnibus, quamvis multe filie congregaverunt divicias, sed hec supergressa est universas. XII. Frequens exercicium humilitatis. Unde per fenestram humilitatis [illegible] altissimus ei infusa est. [illegible] cum diceret: ecce ancilla domini, concepit filium dei. In hiis omnibus apparuit nobis beata virgo signum magnum magne religionis, exemplar discipline et forma tocius perfectionis, ita ut vere de ea dici possit: quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis tuis, filia principis. In secundo celo, scilicet in incarnatione filii dei, amicta fuit sole, id est sole spiritus sancti operatione, habens sub pedibus lunam nature, quia quod virgo concepit et peperit et post partum virgo permansit, de solius spiritus sancti operatione fuit supra omnem legem et iura nature. In hoc celo coronatur .xii. stellis, id est .xii. dignitatibus, quibus specialiter ex incarnatione filii dei luminosa refulsit. Videlicet quod ab angelo salutatur. II. Quod spiritu sancto impregnatur. III. Quod virginitas in tantum in ea fecundatur ut duplicis nature pariat personam. IIII. Quod ei gracia non per mensuram sed tota simul infunditur. V. Quod ipsum [illegible] ad alios derivatur. Unde in eius persona accipi potest quod dicitur in libro sapiencie: ego quasi fluvius dorix et sicut aqueductus exivi de paradyso. VI. [illegible] Purpura regis iuncta canalibus. VII. Quod fomes in ea extinguitur, quia per signum concepit ut altissimi fomitem in ea extinxit vel debilitavit. VIII. Quod maledictio Eve in ea [illegible] tocius mundi peccata in benedictionem convertitur. Quod sine libidine concepit et sine dolore peperit. IX. Quod post partum inviolata virgo permansit. X. Quod creator suus ei obedivit et subditur. XI. Quod ipsa in filii passione percepit coronam martyrii, quia morte Christi sua fecit, et omnes passiones illius in secretario pectoris sui semper memoriter tenuit. Unde veraciter dicere potuit: fasciculus myrre dilectus meus mihi et cetera. Hic est quod Maria interpretatur amarum mare, quia in ea omnes amaritudines filii sui confluxerunt. XII. Quod in ea fuit plenissima veritatis cognitio, quia nunquam alii pure creature tanta est in mundo collata cognitio quanta beate virgini, cum ipsa fuit virtute altissimi obumbrata. Hec nam est domus sapiencie quam ipsa sapiencia edificavit sibi. XIII. Quod in ea fuit fides, spes, caritas specialiter. XIIII. Nam nos omnes ipsa fuit quod nos credimus ipsa tenuit. Delicias et caritatis non aliunde sicut nos, sed de ipso fonte amoris qui in ea [illegible] accepit. Unde [illegible] nasceretur [illegible] locus in quo conflatur, aurum ut dicitur in Iob. In omnibus hiis apparuit hec mulier signum salutis et materia restaurationis generis humani. In tercio celo, id est in eterna beatitudine, amicta hec mulier Christo sole iusticie et splendore paterne glorie, habens sub se lunam, id est ecclesiam, quia ipsa super omnes choros sanctorum exaltata principalis est celorum regina et tocius mundi imperatrix et domina. In hoc tercio celo .xii. stellis coronatur, id est .xii. excellenciis quibus eius singularis beatitudo omnium sanctorum beatitudinibus gloriosior antefertur, que sunt: I. Quod ipsa cum corpore et anima in celum assumitur. II. Quod ei a filio cum omni sanctorum occurritur. III. Quod ipsa dilecto potentius immittitur quam regina [illegible] illud [illegible] ista [illegible]. IIII. Quod huius nata gloriosius in ea reformatur. V. Quod in ea [illegible] fuit excellentissima perceptio iuxta illud Exodi: facies super archam coronam auream. VI. Quod super omnes choros angelorum sublimatur, quia sicut sol omnibus luminaribus preminet sua claritate, ita beata virgo omnes beatorum spirituum ordines excellit dignitate. VII. Quod ei cum sponso suo collateralis habitatio, iuxta illud: astitit regina et cetera, quia eius nuptie non tantum in anima sed et in corpore celebrate sunt. VIII. Quod in ea tocius trinitatis est mansio, angeli nam distincti sunt sed hic [illegible] potencie sapiencie et bonitatis nobile triclinium. IX. Quod ei ad filium singularis est correlatio, ipse namque illi est proprius filius, hec illi mater et filia, ut vere dicere possit: dilectus meus mihi et ego illi, et non solum rogare patrem sed et iubere natum. X. Quod eius gloria est terror demonum. Unde ipsa plaudit affluens virga pencillus. XI. Quod eius gloria exultatio angelorum. XII. Quod perpetua exultatio omnium sanctorum, quia non sunt ulla in ierusalem celeste allata talia aromata vero Salomoni Christo qualia hec attulit regina, sed infinite maiora accepit ab ipso premia, de quibus omnium sanctorum perpetuo augmentata est leticia. In hiis omnibus data est nobis beata virgo Maria in signum speciationis et adiutorii, ut beatificemur in spem venie et augmentum gratie et in adeptionem glorie per omnia secula seculorum. Amen.

LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DUESSELDORF